

44/54161

D70

DISPUTATIO JURIDICA

ad titulum Codicis

De

PIGNORIBUS ET HYPOTHECIS

Quam

AUXILIANTE DEO,

Consensu Magnifici Jctorum Ordinis in illustrissima

Viadrina

SUB PRÆSIDIO

VIRI

NOBILISSIMI, AMPLISSIMI, CONSULTISSIMI, ac EXCEL-
LENTISSIMI,

DN. JOACHIMI DECHERI

J.U.D. Codic. Justin. & Feud. Professoris publ. juxtaimq; Rei-
publ. Francofurtanæ Consulis

Dn. Præceptoris ac Promotoris sui æternùm colendi.

Ex ejusdem Prælectionibus publicis desumptam, in
publico Jctorum auditorio

*die 28. Decembris horis antemeridianis venti-
landam exhibet publicè*

SIMON PETRUS RUDOLPHI

Francofurt: Marchicus

Excudit

ANDREAS BECMANUS,

M DC LX.

569

DEPUTATO MEDICA

1819


SIMON PETRUS RUDOLPHI
HYPOPHYSICIS



1819 145/174/1082
DIOACHIMI DECHERI

SIMON PETRUS RUDOLPHI

ANDREAS BROMANNUS
CM DC LX



Quoniam præterito semestri in prælectionibus publicis materia pignorum, pro ut habetur in Codice, tractata, explicataq; fuit, non abs re erit, ea, quæ in calamum dictata, vel perdicursum obiter prolata fuerunt, proferre in publicum, illaq; pro exercitio Academico publica Disputationum incudi subijcere. Equidem disputando materia Jurium Cultoribus fit familiarior, acceptiorq;. Et habent plerumq; disputationes præter veri indagacionem, hos effectus, ut materiam, jam ante in prælectionibus vel publicis vel privatis utcumq; exasciatam, reddant magis expolitam, acuunt ingenium, memoriam adiuvant, linguæq; promptitudinem conciliant. Quæ utilitates, ut sunt magna, ita à Magnis Viris in plerisq; Germaniæ Academijs maximi sunt habitæ. Quod tot volumina disputationum tum ex hac cum ex alijs Academijs emissa testantur. Nos horum exemplis juxtimq; utilitatibus prædictis moti, licet alioquin susq; deq; faciamus promiscuum illum disputandi usum, de quo conqueritur Dn. Frantzkius in Præfatione, Commentario in 25 libros Pandectarũ præfixâ, quod quinquaginta proximis retrò elapsis annis in plerisq; Germaniæ Academijs invaluerit, de selecta hac pignorum materia unum atq; alterum faciemus periculum Academicum. Sit itaq; in nomine Domini.

MEMBRUM PRIMUM

Pro intellectu materiæ & Rubricæ de pignoribus & hypothecis tradit doctrinalia, inclusa

Aphorismis

1.

QUò Vox pignoris ab homonymia liberetur, sciendum, pignus quandoq; significare ipsum contractum realem pignoratitium, quo res sine jure dominij *l. pignore. 54. ff. de pignorib. prævio contractu reali, Creditori traditur, ad crediti restituendi fidem, & securitatem, de quo in S. ult. Inst. 2. Mod. re contrah. Modò notat rem pignori datam S. fin Instit. d. t. l. 3. l. 4. l. 13. ff. de pignorat. act.* quo sensu pignora dicuntur obligari in *l. Paulus. 29. ff. de pign. & hypoth.* Modò obligationem ipsam, unde nexus pignoris *l. 8. l. 9. l. 20. ff. de pign. ac l. ult. C. si res alien.* Modò etiam jus in re, quod ex ea obligatione Creditor habet: quod & hypotheca vocatur. *S. 7. Instit. de Action.*

2. Sapè enim hypotheca in jure comprehendit pignus pressè sic dictum, & vicè versâ. Quia utrumq; verbum æquè generale est *S. 7. Instit. de Actionib.* Et quoad effectum obligationis exigua, imò nulla, est differentia inter pignus & hypothecam. Nec quoad nexum, cum de re obliganda quæritur. Donell; *in tract. de pignorib. & hypothec. cap. 2.* Ideoq; voces has tantùm nominis sono differre dixit Marcianus *in l. res. 5. S. ult. ff. h. t.* Inde infertur, quia horum Verborum promiscus est usus, quod statutum disponens de pignore, etiam in hypotheca locum habeat, si illud, quod disponit, æquè commodè hypothecæ potuerit accommodari. Bachov, *ad Treut. vol. 2. disp. 1. tb. 1. lit. E.*

3. Communiter tamen Dd. petunt differentiã aliquam ab actu traditionis: Cum pignus volunt esse dictum à pugno, ut pugno id est manu

manu res, quæ pignori datur, tradatur *l. plebs. 238. l. plebs. 238. §. pignus. ff. de V.S.* quasi tradere sit idem, ac de manu in manum dare. Quo sensu res immobilis tradi nequit. Ideoq; nec pignori dari: Sed eâ ratione tantummodò res mobilis transferri & tradi potest. Proinde etiâ ea solùm pignori subijci potest. Immobilis verò nudo & solo consensu debitoris & creditoris nexu oppignorationis devincitur. Atq; tum dicitur constituta hypotheca. Ergò cum possessio rei oppignoratae transfertur in creditorem, pignus; cum non item, hypotheca dicitur. Juxta *text: in l. si rem. 9. §. 2. ff. de pignorat. action. ubi Ulpianus; Propriè pignus dicimus, quod ad creditorem transit: Hypothecam, cum non transit, nec possessio ad creditorem.*

4. Verum non deest exemplum ubi possessio rei mobilis pignori datae relicta est debitori, utpote in *l. si quis 36. in pr. ff. de pign. act.* Nec inauditum est, ut res immobilis hypothecâ supposita, translata sit in creditorem: De quo casus est in *l. quid de creditore 11. ff. de damn. inf. l. creditori. 9. ff. de op. nov. nuuciat.* Ergo usus juris hanc differentiam inter pignus & hypothecam, quæ ab actu traditionis & ab habilitate dandi in manus desumpta est, non vult esse perpetuam. Unde relinquitur: Non semper, sed tamen ut plurimum, circa rem mobilem, in securitatem debiti obligatam hoc requiri, ut ejus possessio in creditorem transferatur. Nam quando hoc non fit, minus cautum est Creditori.

5. Pignus latè sumptum definimus; quod sit jus, quod pro securitate debiti Creditori in re est constitutum.

6. Dicimus esse *jus in re*, quia creditor circa rem sibi pignori datam ex contractu pignoratitio habet jus, ad quod res ipsa devincta est.

7. Ex eo consequitur (1) quod nexu pignoris semper rem committitur ad cujuscunq; manus perveniat, quia secum fert, esse ita devinctam, ut Creditor in ea ius sibi constitutum habeat & retineat, donec pretium, ad cujus assecurationem pignus traditum est, solvatur. Ideoq; debitor rem pignori nexam legans, vendens, aut donans, jus pignoris aut hypothecæ convellere nequit *l. Debitorem 15. C. h. ri* quia res semper cum causâ & onere suo transit.

8. Sequitur etiam (2) quod nemo rem alienam, sed suam tantum pignore afficere possit *t. r. C. si res aliena pign. dat. fuer.* quia jus in re, praequirat constituentē & autorem istus juris fuisse Dominum rei, siquidē nemo, nisi Dominus rei, vel Domino rei ratū habente, jus in re constituere potest. *per l. aliena. 20. ff. de pignori. action.* Ideoq; nec Rector Academiae, nec Praelatus Ecclesiae, nec Moderator rerum hospitalium res piorum corporum, in quibus nullum jus dominij directi vel utilis, sed tantum administrationem habet, pignori dare potest.

9. Dicimus II. quod pro securitate debiti Creditori est constitutum. Causa enim finalis pignoris est asscuratio Creditoris, vel ut loquitur Justinianus, ut Creditori magis in tuto sit creditum. *in §. creditor. 5. Instit. Q. mod. re contrab. obligatio* quia plus cautionis est in re, quam in persona *l. plus. 25. ff. de D.R.I. & tutius est pignori incumbere, quam personam persequi arg. l. itaq; 12. §. sed si res. ff. de furtis.* Nec tantum Creditori, sed etiam fidejussori ratione indemnitis constitutione pignoris consulitur *l. si rem. 9. §. 1. ff. de pignorat. act.*

10. Securitas hæc in eo spectatur potissimum, ut non tantum liceat Creditori, rem pignori traditam asservare & retinere, donec sibi integrè satisfiat, sed etiam distrahere, si statuto tempore debitum, non solvatur *§. 1. Instit. Quib. alienare licet vel non.* Hinc sequitur, quod res prohibita distrahi & alienari, aut quæ affecta est alteri, cui restitui debet, efficaciter pignori dari nequeat. Utpote res fidei commissogravata *l. 3. §. 2. C. commun. de legati. Feudalis. 2. F. 52. & 55.*

11. Quod si verò inter Creditorem & debitorem intercesserit pactum, ut is fundum sibi oppignoratum propriâ & privatâ autoritate ingredi possit, si pecunia intra certum tempus non fuerit reddita, pro securitate sua id secundum legem conventionis facere potest, si debitor non fuerit refragatus. Verùm si debitor repugnaverit, Creditor possessionem hypotheca occupans vim facere existimatur *per l. extat. 13. ff. quod metus causa. l. in possessionem. 5. C. ad L. Jul. de vi publ. Bachov. in tract. de pignorib. lib. 3. cap. 21.*

12. Extra hunc securitatis finem si Creditor pignus ad alium usum transferre velit, furtum committere dicitur in *l. si pignore. 55. ff. de furtis.* quia furtum non tantum per subtractionem seu amotionem sed

sed etiam generaliter per illicitam & fraudulentam contrectatio rem rei alienæ committitur.

13. *Species pignoris sunt variæ. Tres recenset Weseemb: in paratit ad w.h.t. num. 3. Nos cum Francisco Balduino in tr. de pignorb. & hypoth. pignus dicimus esse aut voluntarium aut ne cessarium. Voluntarium quod vel ex voluntate Testatoris l. non est mirum. 26. ff. de pignorat. act. aut ex partium conventionione & consensu verbis expressis vel implicite constituitur. Sic implicite censetur in instrumento obligationis hypotheca esse constituta his verbis: Si in solvendo moram contraxero, do creditori meo potestatem ingrediendi & occupandi fundum meum, ut eum possideat, & tam diu retineat, donec ipsi plenarie satisfiat. Franc. Cardinalis Mantica de tacit. & ambig. contract. memb. 1. part. 3. num. 4. Cardin. Tuschius conclus. 110. num. 43 & 46. lit. H. Mozzius de contract. rit. de substantialib. pign. num. 9. Anton. Fab. in Codice suo lib. 8. tit. 7. Coler. de process. executiv. part. 3. cap. 12. num. 44, 53, & 67.*

14. Sed cum pignore ita constituto Creditor in re consequatur jus reale, disquirere juvat, cur contra regulas vulgatas juris nudâ conventionione, jus reale constituatur? Et Respondet Bachov. in tr. de pignor. lib. 1. cap. 3. num. 1. Prætozem ex mente Bartoli in l. 1. de pign. act. propterea id per Edictum ita constituisse, quia pignus est modici præjudicij, puta, si cum aliis juribus realibus conferatur. Nam ubi pecunia soluta est, quod præsumitur debitori non esse adeò difficile, jus pignoris totum expirat,

15. *Necessarium* dicitur, quando debitor nolens volens traditionem & constitutionem pignoris fieri pati cogitur, quod aut lex ipsa, aut Prætor (sumpto præore pro quovis Magistratu) constituit. Hinc vocatur vel legitimum seu legale, vel prætorium in specie sic dictum vel judiciale. *Legitimum*, quod lex citra factum aliquod hominis immediatè constituit, ideoq; etiam tacitum vocari solet. De quo acturi sumus ad tit. C. in quibus caus. tacite contrahitur pign. vel hypoth.

17. Quod spectat pignus prætorium & judiciale, utrumq; ab officio Prætoris proficiscitur, quod indicavit Rescripto quodam suo
Anton

Anton. Imperator, quod extat in *l. si decreto. C. qui potior. in pign. hab.* cujus verba hæc sunt: *Si decreto prætoris, qui de fideicommissò jus dixit, in possessionem fundi hæreditarij fideicommissi conditionalis servandi gratiã prius inducti estis, quàm Adversarius vester in causam judicati ejusdem fundi pignus occupaverit, jussu ejus, qui jure sententiam exequatur, tempore potiores estis.* Nam pro ratione illius seculi Prætor sumebatur pro quovis Magistratu, qui mistum Imperium cum jurisdictione habebat; non uti olim apud Romanos, ubi in initio prætores juris dicendi causa creati erant. Notante Bachov, in *tr. de pignor. lib. 1. cap. 3. n. 4.* Quod cum non omnes animadverterint, & tamen viderint, quod Justinianus in *l. 1. & l. 2. C. de prætor. pign.* utrumq; , & prætorium in specie sic dictum, & judicati causã capã sub pignore prætorio complexus fuerit, multi interpretũ sibi hinc non satis constiterunt. Etiam non pauci distinctionem hanc voluerunt explosam. Quos inter facilẽ primas obtinet Anton. Faber *de errorib. Pragmat. dec. 10. error. 10.* & Balduin, *d. tr. de pign. cap. 8. ubi dicit; scio, vulgò dici, aliud esse pignus prætorium, aliud judiciale. Sed Juri judiciale non nominant, neq; interpretes id confinxissent, si intellexissent, quod judiciale rectẽ dici posset prætorium.*

17. Verũ ut utrumq; genus pignoris, ratione officii Prætorij, dici possit prætorium, benẽ tamen docendi causa duplex esse statuitur. Frantzk. in *commentar. in Pand. ad. b. t. num: 24.* idq; non ineptẽ defendi posse, asserit Bach. *d. tr. l. 1. c. 3. l. 4.*

18. Prætorium in specie sic dictum, contra debitorem latitantem constituitur, per missionem in bonorum possessionem, sc: ad contumaciam debitoris coercendam ex primo decreto, causa damni infecti *l. 15. ff. de damno infect.* aut propter non præstitam cautionem. *t. 1. ut legat. vel fidei comm: serv. caus.* Atq; hoc pignus prætorium præter jus pignoris in re nudam potestatem detinendi & custodiendi rem tribuit, ut eã ratione tãdio afficiatur Reus, dum videt, rem suam ab alio sic detineri, tandemq; contumax esse desinat. Quã de re plenius egit Wurmser. *tit: de contumacib. lib. 1. obs. 7.*

19. Judiciale dicitur, quod à Magistratu, latã sententiã pro ejus executione constituitur. Ut potẽ cũ pignora ex judicati bonis capiuntur

15. ff. de judicijs l. 3. C. de executione rei judic. Vel Victor in possessionem mittitur l. 2. & 3. C. qui potior. in pign. babeantur. Atq; hæc missio in possessionem, præter jus pignoris in re, tribuit jus possessionis d. l. 15. §. 2. ff. de re judic. facitq; ut Creditor immisus jus hypothecæ judicialis consequatur. Mynsing. cent. 7. Obs. 28. Siquidem Magistratus eo ipso, quo Creditorem in possessionem corporalem & naturalem alicujus fundi immittit, contestatur, ipsum debere rem non tantum jure pignoris tenere, sed etiam autoritate judicis, in ijs securitatem habere per l. 1. & 2. C. si in caus. jud. pign. capt. sit. Donell. in tr. de pign. & hypoth. cap. 5. Francisc. Hottomann, in l. si decreto C. qui potior. in pign. hab. Cujac. lib. 5. obs. c. 30.

20. Sed limita, quod Creditor per immisionem non aliter jus hypothecæ judicialis consequatur, quam si realiter, non tantum nominatenus, verbis de futuro, fuerit immisus. Cujac. de sent. & re judic. per l. Debitor. 40. §. fin. ff. de pignorat. act. nec si tantum Rescripto comminatorio de facienda immisione nitatur. Carpzov. F. F. part. 1. Constit. 28. def. 139. num. 2.

21. Effectus pignoris constituti est I. afficere ipsam rem & quidem totam & in solidum, ut ei tamdiu incumbere liceat, donec ultimus quadrans solvatur & Creditori integrè satisfiat. Integrè a. non dicitur esse satisfactum, quam diu aliquid ex solutione debiti restat. per l. si rem. 9. §. 3. ff. de pign. act. Hujus consequens est (1) quod nulla pars pignoris liberata sit, quoties adhuc aliquid debetur, etiãsi vel minima pars sit. Ratio; Quia pignoris natura est individua. l. rem hereditariam. ff. de eviction Nec dici potest, quæ nam pars pro hac debiti parte, quæ verò pro alia magis sit obligata argl. 3. §. fin. ff. qui potior. in pign. Qua de re pro more suo accuratè differit Bachov. dict. tr. lib. 2. cap. 2. per tot. (2) Item quod pars rei communis indivisim ab uno ex socijs hypothecæ supposita, postea factâ cum socio divisione non eatenus, quatenus socio, debitori oppignoranti, obtingit, Creditori tantum nexa sit pignore, sed utriusq; pars pro indiviso maneat obligata. Molinæus de divid. & indiv. obligat. part. 3. num. 25. & seqq. II. Effectus pignoris est in concursu creditorum operari prælationem. Illi autem Creditores in concursu aliorum præferuntur, qui supra debitum etiam res obligatas habent, quia

jus reale pinguius est jure personali *arg. l. si fundus 16. §. 3. ff. de pignori-
rib.* Ill Effectus pignoris est, gaudere jure distrahendi pignus si intra
certum tempus pecunia non fuerit soluta t. t. C. *de distr. pign.* aut si
emptorem non liceat invenire, ipse Creditor jus domnij impetrare
poterit *l. ult. C. de jur. dom. impetr.* Cæteros effectus, quando ob con-
stitutam hypothecam Creditoribus competit actio hypothecaria, ,
quàm quasi servianam aut utilem servianam vocant. *§. Item serviana.
Instiit. de actionib. & l. a. C. commun. de legat. & fidei commiss.* aut quan-
do ob datum pignus Creditor pro alia pecunia, quæ sine pignore de-
betur, gaudet jure retentionis, sciens volensq; prætermitto, cum
in subsequenibus titul. de his & similibus speciatim agendum sit.

22. *Contrarium* pignoris est satisfactio Creditoris, aut obliga-
tionis principalis destructio. Satisfactum a. esse accipimus, quem-
admodum voluit Creditor, licet non sit solutum: Sive aliis pigno-
ribus sibi caveri voluit, ut ab hoc recedat, sive fidejussoribus, sive
reo dato, sive pretio aliquo, vel nudâ conventionē. Sunt verba
text. *in l. si rem. 9. §. 3. ff. de pign. act.* Si itaq; Creditori volenti & con-
sentienti alio modo, quàm solutionē, de debito satisfactum fuerit,
perinde est, ac si datâ pecuniâ pignus fuisset liberatum. Quin imò
si tertius aliquis Creditori solverit, res oppignorata â nexu pignoris
liberatur. Siquidem tertius quisq; debitum alterius solvere potest, *l.
solvendo. 39. ff. de negot. gest.* Etiam creditore invito. Quoniam hoc
modo debitoris conditio sine jactura Creditoris fit melior. At sine
incommodo tertii facere conditionem ignorantis & inviti meliorē
& naturalis & civilis ratio admittit *l. 23. l. 53. ff. de solutionib.* Verùm,
satisfactio præter voluntatem Creditoris non admittitur, etiamsi
offeratur satis datio, *l. item liberatur 6. §. 1. ff. Q. M. pign. vel hyp. sol-
vit.* Item si invito Creditori pignus æque idoneum obtrudatur,
pignus haud liberabitur, quia aliud pro alio invito Creditori solvi non
potest *l. muturum. 2. §. 3. ff. de reb. credit. si cert. pet.*

23. Creditor verò ex fructibus aliisq; commodis rei oppigno-
rata tantum percipiens, quantum ad ejus satisfactionem sufficit, ipse-
met facit, ut liberetur pignus. *c. cum contra 6. extr. de pignorib.* Po-
terit enim, si velit, fructus pignoris consumendo facere suos, eosq; in
fortem imputare. Nam quia pignus cum sua causa, id est, cum
acces-

accessione sua transit ad Creditorem, omnia, quæ ex illo nata fuerint licet de ijs nihil actum sit, accedunt creditoris securitati, quæ si sublatâ pignoris obligatione adhuc extiterint, veniunt restituenda, cum creditor sine jure dominij possederit pignus; si à Creditore percepta & consumpta fuerint, cedunt in ejus satisfactionem, ipsoq; jure, pignus reluunt *l. 1. C. de pign. act. l. rescriptum, §. faliens. ff. de distract. pignor.*

24. Destructa dicitur obligatio Principalis, quando ipso jure tollitur. Atque tum pignus haberi desinit, utpote si deferente Creditore Debitor juraverit, se non debere, *l. si deferente. 13. ff. Q. M. pign. solv.* Si acceptilatio, compensatio, novatio, confusio intervernerit vel etiam ope exceptionis obligatio Principalis in effectu concidit, videlicet si pactum de non petendo intercesserit, & qui sunt alij modi, destruendi obligationem principalem solvendiq; pignus. De quibus Dd. *ad tit. Quib. mod. pign. solv.* ex professo egerunt. Tunc enim destructo principali ejus accessorium, scil. pignus, quod aliter constitui non potest, nisi subsit obligatio Principalis, unâ tollitur.

MEMBRUM SECUNDUM

Proponens ad Præcipuas hujus tituli Leges

ADVERSARIA

Ad l. quamvis 2.

Textum hunc Dd. dicunt esse mirabilem, & unicum in jure, (1.) singularem, (2.) eumq; habere dispositionem exorbitantem (3.) Ideoq; juvabit, ante omnia eruere genuinum ejus sensum, qui talis est: Si alicui quædam debitoris bona specialiter, & insimul universa generaliter fuerint obligata pignori, is in omnibus debitoris sui bonis (ut dicitur in textu) habet æquale jus, id est in generali perinde atq; in speciali hypotheca æqualiter obtinet jus pignoris. Verum, utut habeat jus æquale, tamen jurisdictionem

B 2

(1.) *Bald. in c. 1. in fin. de Rescript. (2.) Pan. rba Cremonens. Singul. 54. incip. Obliga vi tibi Crattem. vet. consil. 77. n. 16.*
 (3.) *Socin. sen. consil. 159. vol. 2. Negusant. de pign. 5. Part. membr. 2. ad fin. Covarruv. lib. 3. vers. resol. cap. 18.*

(4.) *Acade. nic. quest.* temperandam esse, hinc rescribunt Impp. Ubi locutio, temperare jurisdictionem, est nonnihil obscura. Puto, *tempera- re Rem- publ. legi- bus.* Impp. hoc voluisse, quod in ordine executionis tempera- tura sit adhibenda, positâ voce jurisdictionis pro executi- one, quia verba finalia indicant, hinc esse sermonem de ex- ecutione faciendâ, quando dicitur; *Interim ea, quæ postea* ex iisdem bonis pignori accepisti; tibi non auferri Præses provin- ciæ jubebit. Quomodo enim aliter auferebat quid Præ- ses provinciæ, quàm mediante executione? Et temperare, pro moderari usus est Cicero (4.) Temperamentum autem & Ordo, qui in executione servandus, talis est, nimirum prius discutienda est specialis hypotheca, & si illa non suffecerit, tum prior Creditor jure suo, quod in omnibus æquale habuit, demum fruatur. (5.) Ratio; quia adjectio ge- neralis hypothecæ ex tacita mente contrahentium hic vi- detur tantum facta in supplementum, scilicet, si specialis hy- potheca non suffecerit. (6.) Sufficere a, præsumitur, donec à Creditore posteriori contrarium fuerit probatum. (7.) Ut- pote cujus favor in legis hujus dispositione etiam aliquan- tum respicitur, dum cavetur, ne prior Creditor habens specialem hypothecam in ejus præjudicium possit ad ge- neralem super aliis bonis statim confugere, adeoque vis & effectus generalis hypothecæ in favorẽ secundi Creditoris sufflaminatur. (8.) Atque hæc juris sanctio extenditur; quod specialis semper discutienda sit prius, sive cum Creditore, sive cum debitore, sive cum extraneo agatur. (9.) Limita tamen, supra dicta non habere Locum I. Si clausula, quod specialitas generalitati non debeat derogare, esset apposi- ta in instrumento, quia tunc clausula id esset operatura, ut anterior Creditor non astringatur potius agere prius ex speciali hypotheca, quàm ex generali, etiam in præjudi- cium secundi Creditoris. (10.) Limita II. Si extra controver- siam secundi, tertii aliorumque posteriorum Creditorum, de prioritare certantium primus Creditor prætermisâ hy- pothecæ specialis excusatione ex generaliter hypothecatis id cle-

(10) *Myn- sing. cent. 6. obs. 94. num. 8. & 9.*

id elegerit, quod sibi magis commodum, & discussu facilius videtur. (11.) Limita III. quod dicta non habeant locum, si tam prior, quam posterior generalem tantum habuerint hypothecam. (12.) Cæterum sunt, qui huic legi valde aduersari putant *l. qui generaliter. 2. ff. qui potior. in pign. vel hypoth. habeantur.* ideoq; pro ea concilianda cum præsentis textu efflagitant, ut lectio Florentina emendetur, & in *d. l. qui generaliter. vers. si pecunia de his, quæ generaliter accipit,* legatur *de his, quæ specialiter accepit.* (13.) Alii pro cætera bona substituunt *certa bona.* (14.) Aliam conciliandi rationem affert Hartm: Pistoris. (15.) Nos amplectimur correctionem Florentinæ lectionis, & tunc contra nostrum textum *d. l. 2. ff. quæ potior. in pign.* haud pugnabit, quoniam in pr. loquitur de casu, quando hypotheca generalis est sola. (16.) Et tali in casu si Creditor vi generalis hypothecæ certam aliquam rem elegerit, petendo executionem, tunc variare & ad res alij specialiter obligatas venire nequit, quia electione rei certæ videtur à jure suo recessisse. (17.)

L. Creditores 3.

Satis manifestum est, quod lex approbet pactum, quod inter debitorem & creditorem conventum est, ut hic, si pecunia sibi statuto tempore non fuerit reddita, pignus propria autoritate occupare possit; Nec vim facere videtur, siquidem debitori suo non facit injuriam, dum jure suo utitur. Jus enim ex conventionem quæsitum habuit, dum debitor sibi ipsi hanc legem dixit. Et paria sunt, conventum esse, & judicatum esse [1]. Atque hæc omnia bene procedunt, quando debitor legem conventionis agnoscit, talique creditori aut ultrò cedit, aut licet in initio parumper obnitatur, litem tamen movere defugit, & solo verbo, non facto resistere tentavit. Verum an lex ita approbet pactum, ut Creditor etiam tunc quando debitor ipsi repugnat, propria autoritate & irrequisito magistratu, possessionem pignoris apprehendere possit? Quæstionis est &

(11.) *Carpzov. I. F. part. 2. c. 23. def. 29. num: 13.*
 (12.) *Hartm: Pist. l. d. num: 18.*
 (13.) *Pacius ENAN-TIOΦ. cent quinta. num: 28. pag. 371.*
 (14.) *Ant. Fab. l. 6. conject. 13.*
 (15.) *H. pist. l. 3. q. 13. n. 8 & seqq.*
 (16.) *Bach. d. tr. lib. 4. cap. 5. nū: 2.*
 (17.) *Carpz. 1. F. p. 2. c. 23. def. 30.*

[1] *l. Siconvenerit. 26. ff. de rejudic.*

ex ultimis legis hujus verbis : *Attamen autoritate præsidis possessionem occupare debent* : venit determinandum. Sanè milium terebrant, qui verbum, debent, hîc putant exponendum per possunt, uti videre est apud Menochiũ. (2.) Si quidem verbum, debet, regulariter est necessitativum. Nec prolixâ refutatione digni sunt, qui contendunt, dicta verba finalia non sapere vim præcepti, sed consilii, esseq; verba ista (*autoritate Præsidis*) de urbanitate (sc. quod cautius fit, urbanitatiq; magis conveniat, si Creditor autoritate Judicis possessionem pignoris apprehenderit) non de necessitate accipienda. (3.) Quandoquidem verba expressa textus nostri reclamant. Proprius cardinem hujus legis tangere videntur, qui statuunt Impm. in initio hujus legis concedere, ut Creditor vigore pacti ingrediendi fundum, oppignorum ius custodiæ habeat, quo Domino molestiam creet, donec sibi satisfiat de credito : Sed in fine legis adeptionem possessionis soli autoritati præsidiali tribui. (4.) Quippe aliud est esse in possessione & longè aliud est, possidere. (5.) Creditor ex lege conventionis & ex voluntate debitoris occupans pignus, potest esse in possessione ; sed reluctante debitore absq; judicis autoritate possessionem propria autoritate adipisci, debitoremq; resistantem expellere nequit, quia singulis non est concedendum, quod per Magistratum expediri debet. Nec partes contrahentes suis pactionibus & conventionibus efficere possunt, ut ordo judicarius, pervertatur & initium fiat ab executione : Sed vitanda sunt omnia, quæ turbis & concertationibus ansam præbere possunt. Etiam quando pactis privatorum derogamus illam potestatem, quæ ad officium Magistratus pertinet, præcavebimus, ne Creditoribus via sternatur, quâ debitores egentes, qui, necessitate adacti, & in angustiis constituti, quaslibet pactiones ad arbitrium Creditorum admittunt, circumvenire, sibiq; hoc nomine prospicere possint. (6.) In decisione igitur propositæ quæstionis standum erit expressis verbis finalibus

(2.) *In lib. de adipisc. poss. re-med. 5. n. 5*

(3.) *Salicet in hauc l. n. 1. & 7 Wesenb. in w. de dist. pign. n. 10.*

(4.) *Bart. ad h. l. num: 4. Colerus de process. exec. part. 1. num: 64. & seqq.*

(5.) *l. Si quis ante. 10. ff. de acquis. possess.*

(6.) *Bach. tr. de pign. lib. 3. c. 21.*

bus textus nostri, qui nititur generali ratione ; ne quis sibi ipsi jus dicat. Cui conclusioni haut adversatur *l. penul. C. de pignorat. act.* ubi vulgò putant, conventionem partium comparari iussioni prædiali : *Vers. nec creditor citra conventionem vel prædialem iussionem, debiti causa, res debitoris arbitrio suo auferre potest.* Nam ibi agitur de tali conventionem, qualis proponitur in facto concordantis legis 30. ff. de pignorat. act. nimirum, si debitor suâ voluntate concesserit, ut creditor ratem vel aliam rem oppignoratâ auferat (7.) Secus erit, si debitor permittere nolit, ut creditor auferat vel occupet rem oppignoratam. Limita tamen, conclusionem ex verbis finalibus supra positam non obtinere, si ultra ejusmodi conventionem debitor se constituerit possidere pro Creditore simpliciter, aut precario, tunc quia apud creditorem est utraq; possessio, cum scilicet est simplex constitutum possessorium : aut certè civilis cum est precarium : Si debitor facto resistat, vim facit creditori, qui idè potest in continenti per vim ingredi : Nam id faciens magis dicitur defendere suam possessionem, quàm occupare, vel aggredi. (8.) Etsi autem pactum, cujus in initio Legis nostræ fit mentio, tantis viribus non polleat, quantas multi Dd. ipsi tribuunt, tamen effectus habet insignes, ut pote primò quod inducat constitutionem hypothecæ, uti dictum est supra membr. I. Aphorismo 13. & ex multis Dd. retulit Vincentius Caroc. (9.) Deinde quod operetur executionem paratam. Non tamen eo sensu, quod debitor non debeat prius audiri, sed quod Creditor non habeat necesse, uti actione hypothecariâ, & implorato saltem judicis officio, viâ juris executivâ contra debitorem, si is non habuerit, quod validè opponere possit, (10.) procedere queat.

L. Quamvis Personali. 8.

Debitor actione personali conventus & ad solutionem condemnatus si debitum non solverit plenariè, jus pigno-

(7.) *Bach. d. l. 3. c. 26.*

(8.) *Sunt verba Tiracuell. de jure constit. poss. tom: 4. part. 1. n. 37.*

(9.) *Vinc. Caroc. decis. 42. n. 17.*

(10.) *Dn. Heinr.*

Habinius ad tit. π. de dis. tract. pign. num. 10. pag: 25.

(1.) *l. Generaliter*, 28. Creditori integrum, actione hypothecariâ uti, donec per
§. Idemq. omnia ei satisfiat. (1.) Haud secus ac Creditori eligenti u-
C. de Fide- num ex confidejssoribus non est adempta potestas reli-
juſſ. & quos quoq; conveniendi, qui sub hypotheca omnium bo-
mandat. vorum fidejſſerunt, donec debitum plenariè solva-
(2) Stracta tur. (2.)
de decoct.

L. Cum dominam. 13.

Pignus taxatum pro toto debito intelligitur datum in solutum, (1.) Si Creditor id voluerit insolutum accipere. Invitus enim ad accipiendū in solutum compelli non potest. (2.) Nisi consuetudo loci obtinuerit, ut pignoribꝯ prævio juramento taxatis Creditor cogatur esse contentus, quemadmodum ita moris esse Venetijs tradit Zasius. (3)

L. Distractis. 14.

Quamquam Debitor proprietatem rei oppignorata vendendo, dominium in emptorem transferre possit, (1.) quia pignoris Dominus est; nihilominus tamen, jus pignoris salvum manet, quoniam res cum sua causa & onere transit nec potest hoc pacto Debitor conditionem Creditoris facere deteriore. (2.) Adhuc igitur penes Creditorem est electio, an eo, quo ante factam alienationem pignoris gaudebat, jure uti, & debitorem actione personali vel hypothecariâ convenire velit. Quo nomine, si ipsi placuerit, personalem & hypothecariam actionem in eodem libello cumulare potest. (3.) Nec refert, etiamsi ipsemet Creditor præsens fuerit, cum pignus distraheretur & venderetur alteri, quoniam censetur, id propterea admisisse, quod sciverit, jus suum durare. (4.) Veruntamen tutius est, ut hoc casu ad evitandam omnem disceptationem, de jure suo protestetur: (5.)

Auth.

p. 3. n. 46.

(1.) Coler.

tr. de pro-

cess. execu-

tiv. pag. 3.

c. 9. n. 58.

(2) Modest.

pist. p. l.

q. 12. Köp-

pen dec.

55. n. 17.

(3) Zas. in

l. credito-

res ff. de

reb. cred,

(1.) l. si do-

minium 9.

C. h. t.

(2.) l. sol-

vendo. ff. de

neg. gest:

(3) Sichard

ad l. 24. C.

b. t. Guid.

Papat. de-

cis. 108.

(4.) l. licur.

(5.) Carpz.

8. §. non videtur ff. Q. M. pign. vel hyp. salv.
in l. F. pag. 1. const. 18. def. 132. num: 3 & 5.

Auth: Hoc ita, si debitor.

Si debitor in specie res aliquas, fundos, vel prædia, pignori dederit, eademq; non ita longè post vendiderit, nec de pretio, quod ex venditione consecutus est, creditori suo plenariè solverit, Creditor bona & prædia sibi specialiter hypothecata ab emptore & possessore actione hypothecariâ vindicare potest, nec opus habet, personali actione pulsare & excutere prius suum debitorem principalem. Atq; sic de speciali hypotheca hanc Authent. esse exponendam recentiores pleriq; cum Negutzant. statuunt. (I.) Ratio decisionis ponitur in eo, quod venditione rei, quæ specialiter obligata est pignori, longè majus præjudicium accelerari possit Creditori, quàm si generali gaudens hypothecâ comperiret, unam atq; alteram rem ex bonis debitoris esse distractam, cum primis si ex cæteris bonis creditum suum consequi posset. Quodq; hîc Creditori aperta videatur fieri fraus, dum emptor rei oppignorata debuisset operam dare, ut pecunia perveniret ad manus Creditoris. Ideoq; ubi majus vertitur præjudicium, ibi succurrendum est ocyùs, & adhibendum remedium expeditius. Et quia fraus suo auctori debet esse incommodo, factum inde, ut tertius possessor & emptor pignoris, qui cum creditore nullum habuit negotium, sentiat tamen ab ipso aliquod incommodum, scilicet, ut teneatur aut rem restituere aut pecuniam solvere. Alii rationem decidendi, quare juxta hanc authentic. Creditor in casu alienatæ specialis hypothecæ contra tertium possessorem, emptorem pignoris, actione hypothecariâ experiri possit, sine ulla excusatione debitoris principalis, suggerunt talem; quod Imperator in Novell. 112, c. 9, unde desumpta est præsens auth. agat de tali debitore, qui lite sibi à Creditore jam motâ vendidit pignus, ideoq; intuitu rei litigiosæ constitutum esse, ut inexcusato principali debitore statim agere possit ad versus possessorem pignoris. Verum.

(1) *Negutzant. tr. de pignor. p. 8. membr. 1. n. 17. vers. tertio. Bachov. tr. depign. lib. 3. cap. 17. num. 3. Frantzk. var. resol. lib. 1. resol. 12. Berlich. p. 2. concl. 24. n. 71.*

(2) *Bachy.*
d. tr. lib.
3. c. 17. n. 3.

[3] *l. Generaliter*
29. in pr.
ff. qui & a
quib. manumiss. l. 1.
2. & 3. C. de servo
pignori
dato.
l. est differ
rentia 9 ff.
in quib.
caus. vel
hyp. tacit.
contrah.

[4] *Ut fe*
cerunt al
legat. Dd.
ap. Berlich
part. 2.
concl. 24.
num: 67.

[1] *l. qua*
cung. 11. ff.
de o. & 4.
[2] *l. 1. C.*
per quas
person.
cuiq; ac
quir.

his rectè opponitur; quod Justinianus in cap. 1. Novell. 112, prohibeat quidem vendi res litigiosas, sed tamen neget, quod res pignori obligatæ sint æstimandæ ad sectæ esse hoc vitio litigiosi, & quod controversia de jure hypothecæ non impediatur, quominus debitor proprietatem rei alienare possit [2] Satiùs itaq; erit, rationem decidendi supra positam retinere, & pensi habere, quod alienare quandoq; liceat quid, non obstante generali hypothecâ, quod tamen non item permissum est in alienatione rei specialiter hypothecata. Sic generalis hypotheca non impedit, quo minus servi manumittantur, quod non ita est, ubi servus specialiter est obligatus. [3] Positâ etiam hac decidendi ratione, non opus habemus, hanc authent. dicere, esse correctoriam subsequenter authent. Hoc si debitor ex Nov. 4. cap. 2. desumpta, [4] Fit enim conciliatio duarum istarum Novellarum hoc modo; ut altera de hypothecâ generali, altera, præfens scilicet, de speciali intelligi debeat. Quâ ratione evitatur jurium correctio, ad quam sine urgente necessitate confugere non debemus.

L. etsi frater. 16.

Qui alienam pecuniam suo nomine alii cuidam dederit mutuò, & insuper pignus acceperit, is non vero Domino, sed sibi jus pignoris quæsit. Ratio est in proptulo, quia ea, quæ gerimus ex nostra persona initium obligationis capiant, oportet: [1] nec alteri per alterum acquiritur [2] & regulariter interesse alterius non venit in commercium contrahentium.

L. Quamvis 17.

Verum si pecunia nominatim ad coemendos agros vel domum fuerit mutuò data, mirum est, quod hoc juxta tenorem præsentis textus mutuanti ad consequendum jus reale nihil proficiat, nisi in illa re emptæ specialiter sibi de hypotheca prospexerit & numeratione pecuniæ jus pigno-

pignoris simul sibi conciliaverit. Cum aliàs is, qui ad navem emendam aut in eam exstruendam, vel instruendam, credidit, consequatur privilegium [1] At videntur esse æquiparanda, mutuans ad refectionem & mutuans ad conservationem alicujus fundi vel domus. Æquiparatorum verò eadem solet esse natura. Atq; hæc causa movit unum atq; alterum ex Dd., ut contra clarum textum hujus legis asserent, eum, qui ad emendum prædium vel domum pecuniam mutuò dedit, eo ipso rem suâ pecuniâ emptam jure pignoris tacitè obligatam habere. (2) Verùm hæc dubitandi ratio non est tanta, ut propterea, à claro textu recedamus. Siquidem hîc non sunt æquiparata, sed disparia, dum ratio inter Creditores, qui ad emendam rem, & inter illos, qui ad reparandam domum ætatis senio vel fortuito casu concussam mutuò dant pecuniam, est longè diversa. Hi n. salvam fecerunt totius pignoris causam [3] & præcaverunt, ne ruinosis ædibus despectus Urbis deformaretur. [4] Quod & Reipubl. & Creditorum interest. illi tantùm respexerunt gratificationem alicujus privati; illiusq; fidem secuti sunt, dum ad hanc vel illam rem coemendam ipsi pecuniam crediderunt. At publica privatis anteferenda bonis. Ergò horum, quorum mutuuum respicit interesse publicum, potiùs habenda est ratio, nec mirum est, si præ cæteris, qui ad coemendum agrum nummos suos debitori crediderunt, gaudeant pignore legali: Cæteri non item; Sed tenentur vigore præsentis legis verbis expressis sibi de hypotheca in bonis debitoris sui prospicere. Quod si non fecerint, nullum jus pignoris, sed pro mutationis officio ad augendam rem debitoris personale privilegium tantùm consequuntur. [5]

L. Creditor. 20.

Non quidem ad hoc, ut debitum suum repetat, cogi potest Creditor, quia, ex mente Pomponij (1) satis inhumanum est, invitum Creditorem cogi vendere. Sed de-

(1) qui in navem 26: ff. de reb. autor. judic. possid.

(2) Gail. 2. obs. 12. & obs. 25. n. 13. Cassan. in Catalog. de gloria mund.

part. 12. considerat. 99.

Hartm. Hartm.

lib. 2. tit. 27. obs. 8. n. 15.

(3) l. 6. ff. qui potior. in pign.

(4) l. 2. C. de adit. priv.

(5) Carpz. l. F. p. 1. c. 28 d. 155.

(1) l. quàm virt. ff. de bitor. pignor. act.

(2) *Carpz. lib. 5. Resp. Elest. 100. n. 9.*

(3) *Georg Schults in tr. de oblat. & consign. pecu. Zanger. de ex. cept. part. 3. c. 2. n. 88.*

(4) *Bach. d. tr. lib. 3. cap. 30. n. 3.*

bitor, si velit liberare & recuperare rem oppignoratam, hoc habet remedium, ut vigore præsentis legis, pecuniam offerre, & non acceptam consignare, eamq; deponere possit. Ex quo incipit ea pecunia esse periculo Creditoris, ad eumq; pertinet damnum, quod postea ex mutatione monetæ provenit. (2) Dummodo requisita ad veram & legitimam depositionem necessaria utriq; observata fuerint. [3] Quod si v. debitor non sit solvendo, nec ullo modo tantum pecuniæ corradere queat, unde integram summam judicialiter deponere possit interim v. pignus, quod multo pluris est, quam debitum, & hodie pluris venire posset, de die in diem oneratur usuris, donec totum cedat Creditori, tunc præsumitur malitia & dolus, & dabitur debitori actio pignoratitia, ut Creditor aut vendat pignus, aut ad interesse condemnetur. [4]

L. Persecutione. 24. junctâ authent:

Hoc si debitor.

Quod in hac l. 24. disponitur, quod Creditor, si Reus debendi possideat hypothecam, possit, utra malit, experiri actione sive prius hypothecaria sive personali, id authentica subjuncta conceptis verbis confirmat, dum dicit; *Hoc si debitor possideat.* Atque sic in hoc passu jus vetus illibatum permansit. Verum si res hypothecæ suppositæ à debitore in alium, h. e. tertium quendam translatae sint Veteris juris constitutiones innovationem aliquam, dicunt esse perperas, dum in *Novella 4. cap. 2. ex qua Irnerius Authent. hanc depromsit, disponitur, ne Creditor statim pignorum possessores inquietaret, sed ordine servato ad eos demum procederet. Ordo autem iste in quatuor consistit capitibus. (I.) scilicet I. conveniatur & excutiat- tur ipse reus debendi, qui aliàs debitor principalis dicitur. II. Fidejussores vel intercessores. III. demum possessores, & IV. intercessorum, si quæ sunt, hypothecæ petantur. Quo- ad primum caput, liquidi Juris est, quod non tantum ipsemet*

(1) *ex Communi Dd. Schola. Rittersb. part. 3. Nov. cap. 2. n. 32. Sichard. ad h. l. 24. C. h. t.*

psumet principalis debitor, sed etiam ejus hæredes, licet in
 pupillari ætate constituti sint, cogantur excusationem pati.
 (2) Non enim conveniuntur ut pupilli, sed ut hæredes, qui
 defuncti, in cujus locum successerunt, utuntur jure. Per hæ-
 redes Irnerius in fin. nostræ authent. intellexit omnes il-
 los, ad quos per universitatem bona transeunt, non tantum
 proximos, sed etiam hæredis hæredes per multas succes-
 siones (3) Limita tamen; quod excusatione principalis de-
 bitoris non opus sit. Si is reperiatur non solvendo. (4) Si
 à Creditore judicio pulsatus pendente lite hypothecam in
 alium transtulerit, quia videtur facta res litigiosa. At re-
 semel factâ litigiosâ alienatio nullius momenti est. (5) Si
 personalis actio contra debitorem est præscripta. (6) i-
 tem si Creditor in instrumento obligationis cautè adje-
 cerit clausulam constituti possessorii, videlicet, quod de-
 bitor, si ad certum diem pecunia non solvatur, non am-
 pliùs suo, sed creditoris nomine possidere velit, quo casu, si
 contigerit debitorem postmodum rem obligatam alienas-
 se, creditor tutò adversus tertium detentorem, sine discus-
 sionis metu agere poterit (6) plures limitationes non com-
 petentis excusationis vide congestas apud Berlichium. (8)
 Quoad secundum caput si principalis jam sit excussus &
 non inventus solvendo, vel beneficium excusationis quo-
 cunque modo sit amissum, juxta authenticam nostram
 prius est agendum cum intercessore, mandatore, fidejusso-
 re, sponse &c. antequam ad pignorum possessores perve-
 niatur. De quo videndus Heringius in tr. de Fidejussori-
 bus. (9) Quoad tertium caput quomodo procedendum sit,
 si nec à fidejussoribus creditor suum consequi possit, tunc
 juxta authent. nostram veniendum est ad res debitorum,
 quæ ab aliis detinentur, iis scilicet, qui extra personam de-
 bitoris & creditoris rem hypothecæ suppositam possi-
 dent, quos alioquin tertios possessores vocare solent. Quò
 verò ad hoc perveniatur, prius notum esse oportet, excus-
 sionem esse legitimè factam, quod aliter fieri non posse,

(2) l. sub
 prætextu.
 4. C. de hæ-
 red. act.
 (3) arg. l. 2.
 ff. de liber.
 Legat.
 l. hæredis
 170.
 ff. de V. S.
 (4) Hering
 de Fidejuss.
 p. 1. c. 27.
 num. 119.
 (5) lult. C.
 de litigios.
 Negu-
 zant. de pi-
 gnor.
 membr.
 8. part.
 n. 17.
 (6) Dd. in
 l. 2. C. de
 luit. pign.
 (7) Anton.
 Fab. in Co-
 dice suo
 lib. 7. c. 7.
 def. 1.
 (8) Berlich
 part. 2.
 conclus.
 24. n. 58. 59.
 & seqq.
 (9) cap. 27.
 p. 1.

(10) *Neg-
zant. 8. p.
mebr. pr.
num. 11.
Guid. pa-
per. decis.
(11)
Sichard.
ad hanc l.
24. num. 2.
ac seqq.
(12) in tr.
d. pigno-
rib. l. 3. cap
17. n. 2.
(13) Dn.
Frantzk.
lib. 1. refol.
12. n. 87.
(14) lib. 2.
obs. 27. n. 11*

communiter Interpretes statuunt, nisi feratur sententia de-
claratoria, (10) & tertius possessor, omnesque quorum in-
terest ad videndum excusionem fieri & ad audiendam
sententiam super causa ferendam citentur (11) sed contra
hanc communem Dd. sententiam Baldus in l. is apud quem,
C. de edendo existimat hoc casu citationem tertii posses-
soris aut fidejussoris non esse necessariam. Quo cum facit
Bachov. (13) qui istud juris rationi haud convenire autu-
mat: Siquidem Justinianus hoc saltem velit, ut prius aga-
tur contra debitorem, qui an sit solvendo exitus judicii o-
stendit. Et si constet executionem contra condemna-
tum institutum sine effectu fuisse, non opus est ulteriori
probatione, praesertim cum hic quaestio sit de probando
facto, non effectu facti, cujus virtute adversus tertium sta-
tim quoque executio fieri debet. (13) Et hunc circuitum in
praxi non ubique observari notat Practicorum auriga Gail.
(14) dicitq; se non meminisse, quod unquam in Camera ita
factum sit, cum res immensi laboris; multi temporis & ma-
gnorum sumptuum sit. Quoad *quartum caput*, quomodo
contra intercessorum hypothecas denique creditor proce-
dere possit, non attinet multa proferre, cum ex iis, quae di-
cta sunt, id facile appareat, & plurib. videre possit apud He-
ring. in tr. de fideiussorib.


Ad l. ult. eique subjunctam authenticam:
Quod obtinet.

Quicumque militiae comparandae ergo Debitori pe-
cuniam credidit, ei ipsa militia, sive sit nomine Debitoris, si-
ve nomine filii, sive nomine cognati empta, obligata &
supposita est Hypotheca. Et vigione subjunctae *authent.*
Quod obtinet. talis Creditor in concursu praefertur muliri
dotem repetenti. Ratio videtur subesse haec; ut Fiscus
eo facilius emptores militiae reperiat. Erat autem militia
juxta veterem Reipubl. Romanae formam, officium eorum,
qui

qui in aliqua Schola i.e. in aliquo corpore seu ordine officialium, inter statutos relati, certos redditus ea propter percipiebant. (14) Huiusmodi militia species aliquam militiam in iure nostro occurrunt. Fit enim mentio silentiariorum *l. Decuriones. l. jubemus. C. de silentiar.* quorum munus erat, in palatio principis silentium imperare, excubiis præesse (15) Fit mentio militiae Adjutorum Quæstoris (16) ubi Godofred. dicit; eos hodie vocari Secretarios. Nam, quem hodiè vocamus Cancellarium, illum teste Kirchner. (15) olim appellarunt Quæstorem. Et moris erat, ut ejusmodi officia, quæ in iure nostro sub nomine militiae veniunt cum omnibus suis redditibus pecuniâ comparari possent. Haud secus ac nostris moribus militiae Clericales seu beneficia Clericalia, utpote Commendaturæ, Canonicatus &c. nummis comparantur. Qui igitur mutata jam Reipubl. Romanæ formâ pro consequendis iis dignitatibus personalibus, quæ ratione finis veteribus Romanorum militiis respondent, pecuniam accepit mutuam, eamque exponit ad consequendam præbendam, is mutuanti hodiè constituit in præbenda sua tacitam hypothecam.

F I N I S.

(14) *l. 7. C. de prox. sac. scim. l. ne hac 4. C. de silentiariis. Borchol. de feud. cap. 2. n. 1. (15) Godofred. ad d. l. Decuriones. (16) Novell. 35. de Adjutorib. Quæstoris. (16) in tr. de officio & dignitate Cancellarii cap. 2. num. 58. seqq.*



Pignora doctrinae praestas, dum *justa*, *Rudolphe*,
Pignora scrutaris; Quam probitate colis.

Eximio Dn. Respondenti, Amico suo,

f.

ELIAS GREBENITZ,

Profess. Ordin.

Σπάστην, ἢν ἔλαχας, Πισῶς, Φίλε Φίλιππε, κόσμει,
Αιτῶν βίας τὰς βελτέρας

Πάρ κρατερῆιο θεῶ.

Τοῖς πόνεσσι θεὸς ὠφελῆσιν ἔδω ἀεργαῖσι;

Οὐκ ἐστὶ ὅτ' χωρὶς πόνου

Πώποτε εὐτυχέει.

Οὕτως ἢν πισῶς δάσει πονέοντι ἀληθῶς

Εὐθὺς ἀμοιβὴν ἀΨθονου


Πάνδικθ' ἂν ὁ θεός,

Σχεδιάσας τέτο τῶ κοινῆ βερναλίου

σφετέρῳ

JACOBUS KNÖVENAGELIUS,


Osterburgo-Palxo-Marchita,



Freie Universität Berlin



5396294/188















Freie Universität



Berlin

x-rite



colorchecker CLASSIC

